SPECIMEN OBSTETRICIUM
DE
PARTU DIFFICILI.
CAPITE INFANTIS PRÆVIO:

QUOD
ANNUENTE SUMMO NUMINE
EX AUCTORITATE MAGNIFICI RECTORIS
D. FRIDERICI BERNARDI ALBINI,
A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MED. DOCTORIS, ANATOMES
ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
Publico & ſolenni Examini ſubmittit

JOANNES TAK, MEDIOBURGO-ZELANDUS,

Ad diem VI. Februarii M. D. CC. LV. H. L. Q. S.

Quid autem humanius, vel homine dignius proferri poteſt quam aliorum malis commoveri, perinde ac ſi ſua eſſent!

MEAD.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD GEORGIUM WISHOFF ET CORNELIUM DE PECKER, BIBLIOP.

VIRIS

MUNERUM GRAVITATE;

INGENII, ERUDITIONIS, FACUNDIÆ DECORE EXIMIIS.

D. PAULO DE WIND,

MEDICINÆ DOCTORI, POLIATRO MEDIOBURGI EXPERTISSIMO, ANATOMES, CHIRURGIÆ ET ARTIS OBSTETRICIÆ LECTORI DIGNISSIMO, DEXTERRIMO; ILLUSTRIUM ORDINUM ZELANDIÆ LITHOTOMO FELICISSIMO; FRATRI PER AFFINITATEM CONJUNCTO DILECTISSIMO, SUSPICIENDO.

D. JANO VAN BEEKHOVEN DE WIND,

MEDICINÆ DOCTORI; HARLEMI PRAXIN MEDICAM FELICISSIME EXERCENTI; COLLEGII AD RES OBSTETRICIAS MEMBRO; IBIDEMQUE IN ECCLESIA, CUI A BAPTISMO NOMEN, ORATORI SACRO FACUNDISSIMO, DOCTISSIMO; AGNATO ET AMICO CARISSIMO, PLURIMUM VENERANDO.

Haud vulgaris judicii Sagacitas, animique dotes præclaræ, quibus polletis & ornati eſtis, bonarum Artium & Scientiarum Cultoribus tutum præbent perfugium, juſtamque Venerationis cauſam.

Verum meliore etiam jure Vestris Nominibus conſecrantur hæ ſtudiorum meorum Primitiæ; quum tanta ſit magnitudo Vestrorum in ipſam, quam diſputo, Rem Meritorum; atque arctum adeo, quo obſtringimur, affinitatis &

 amo-

amoris vinculum; ut quos alios mihi conſtituerem Patronos, videam nullos: Quodſi enim quid boni quid mali protulerim, dignoſcere poteſtis, quanto magis, non dicam, illud tueri, ſed hoc benigne interpretari volueritis, Qui, qualis ſim qualisque eſſe ſtudeam, noviſtis.

Quum autem impræſentiarum brevitati nimis ſtudendum fuerit, ſingula me indicaſſe potius, quam exſecutum eſſe fateor: hunc tamen ſcopum inprimis attingere niſus, ut Auctorum variam de præcipuis Partus difficilis (prævio Infantis capite) cauſis & curandi methodis mentem ſuccincte inveſtigarem, recenſerem, diſceptarem, componerem.

Hoc ergo Specimen ea frontis hilaritate Excipite, qua me Soletis: in VESTRA atque aliorum commoda vivere; de me meisque ſtudiis bene mereri pergite.

J. TAK.

SPE-

SPECIMEN OBSTETRICIUM
DE
PARTU DIFFICILI.
Capite Infantis Prævio.

§. I.

VETUS verbum illud eſt, *Quot capita tot ſenſus.* Quantum ſane hominum Principia, Notiones, Genius & Intellectus differunt, tantum Eorum differt Judicium. Sanæ mentis compotes, vera noſcere, falſa rejicere æque ſtudeant, diverſimode tamen cogitant judicantque.

Sic ſunt homines. Rem quandam indagent, eandem licet ingrediantur viam, mox tamen varié veluti oculos figunt; in varia ſecedunt diverticula; quod ille cautius perſcrutatur, incaute negligit alter; ad quæ gradum hic ſiſtit attentus, leviter percurrit ille; quo ulterius penetrant, eo magis a ſe invicem aberrant: vix ac ne vix quidem rem ſibi cognitam perſuadent, quin judicent, diſcrepent, & uterque alterius rideat errorem. Tum vel certi in ſua opinione acquieſcunt & obdurant; vel incerti, ulteriori rem ſubjiciunt examini: alia vident, novam formant ideam; plura vident, illamque iterum mutant. Miratur interea imo offenditur hic, quod ſuæ opinioni ſeſe non accommodet alter; dum ipſe ſui continuo ſit diſſimilis, & non raro fallatur; forſan, niſi meliora videns, deteriora ſequi amet, in aliam tranſiturus ſententiam, tandemque

cum illo conſentire coactus, quem vel negligentiæ vel pertinaciæ accuſaverat: dum hic nequaquam errans, alterum tamen offenderat, quum errare cum illo negaſſet.

Quippe humana nequit mens lucem attingere veri
Tam cito, tam facile; & falli ſolet ipſa frequenter:
Hinc tam diverſæ ſectæ, & contraria dicta;
Hic ait, ille negat, propria eſt ita opinio Nobis.
Erroris fons eſt, & origo Philautia noſtra,
Caligoque ingens, quæ Nos cognoſcere verum
Poſſe vetat: tolle hanc, oculi meliora videbunt;
Et quæ nunc bona prima putas, fortaſſe negabis
Eſſe bona; & quæ nunc credis mala maxima, forſan
Non mala ſunt, dices; pulſis a corde tenebris.

PALINGENIUS.

§. II.

Sponte ſua huc prolabitur Exordium, quum Medicinæ Honores & Privilegia ambiens, id quod ex officio tractandum in me ſuſceperim, a longo tempore, & ipſo, quo vivimus, die, humanum ingenium multis adeo exercuerit modis, ut dubius hæream, an uſquam alibi diverſos diverſa juverint magis.

Penes quemvis ſit judicium: ſuccinctis verbis totum depingere conabor negotium.

§. III.

Hominem ex fecundo ſemine concipere, per novem menſes utero ſuo geſtare, tandemque conaminibus ſuis parere, tria ſunt, ſtatuta Naturæ lege, Feminæ impoſita.

Quanta vero uterque periclitatur diſcrimina, quibus ſuccerrere ſolius Naturæ, humanæ nequaquam eſt ſagacitatis, antequam pariendi & naſcendi adſit hora! Quæ tot iterum tantorumque malorum comes, ut Natura veluti hæſitans, ſæpius ipſa ſuos implorare videatur Miniſtros.

Pa-

Pariendi enim difficultas communis omnibus, ſed diſpar in ſingulis; levior his, illis gravior; extrema nonnullis, quibusdam ineluctabilis; imo nec ullo medicamine, nec ſola manu ſuperanda; nec niſi armata manus ſuccurrat, Parturienti nec Fœtui ſupervivenda; ab utriusvis partium conformatione, ſitu, mole, dimenſione minus juſtis, oriunda.

Illum volo caſum, diriſſimum, ſatis frequentem, qui principio partum faciliorem & naturalem mentiens, dein breviori vel longiori temporis intervallo, reiteratis partus doloribus & motibus, effuſis membranarum aquis, aperto Matricis orificio, capite infantis intra pelvis oſſa adacto; cunei inſtar infixo, & immobili hærente, tantis denique ſtipetur difficultatibus, ut infans ante nativitatem jam denaſcatur, & ipſe ſuam matrem ſummos cruciatus diu & incaſſum perpeſſam, animo fractam, certæ tradat morti.

§. IV.

Præſtantiſſima itaque & humano ingenio ſtudioque digniſſima eſt Ars, quæ juſto tempore implorata, ſæpiſſime tanta diſcrimina præcavere, & Parturienti Infantique parcere valet: hæcce enim ars probe exculta ſuos docet Alumnos, infantis caput adhuc liberum in rectam viam ducere, vel remoto capite, illuc pedes & corpusculum attrahere, totumque infantem idoneo ſitu educere. Verum quanto præſtantior eadem eſt Ars, uſque eo perventa, ut hiſce vel fruſtra vel ſerius tentatis, nondum tamen deficiat, ſed peritis manibus innocua præbeat arma, quibus & mater & infans, ſi adhucdum vivus, mortis faucibus prærepti, tantis denique periculis emergant ſoſpites.

§. V.

Miſſis jam paulo illis partus difficultatibus, quibus tollendis ſolæ manus obſtetriciae ſemper ſuffecerunt; breviter varium artis progreſſum perluſtremur, in difficillimis his caſibus curandis, qui tantam quidem crearunt difficultatem, ut generali morbi nomine γομφωσεως, vel minus proprie παραγομφωσεως, *Inclavati* ſive *Incuneati Capitis* inſigniti ſint: de-

 ſum-

ſumta ſimilitudine a *Gomphoſi*, illa articuli ſpecie, qua os oſſi clavi inſtar infixum eſt & immobile hæret, veluti dentes ſuis alveolis.

§. VI.

O utinam manus ad dirum hocce malum debellandum innocue ſemper armatæ fuiſſent!

Verum ex quo tempore deliciis ſuis, ſexui Femineo, dum in hisce verſaretur anguſtiis, ſuccurrere coeperunt homines, tanta ipſorum fuit cura & amor, ut Parturientis periculo, certam nulla ratione ſervandi infantis necem poſthabuerint; hunc ergo ſuffracto capite interfectum, quoquo modo protraxerunt: ſtructuræ enim partium, adeoque obſtaculorum ſeu veræ cauſæ imperiti, utrique parcere nequaquam poterant.

§. VII.

Attamen quod Hi fecerunt neſcii, Alii meliora jam docti perpetrarunt conſcii; ſæpius quidem infantes Inverſione ſervarunt; ſed quum hoc non poſſent: Neceſſaria eſt crudelitas, dixerunt, infantis trucidatio, ne diutius vivens, ipſe ſuam matrem interficeret.

§. VIII.

Apageſis, exclamant Alii, ne faciamus mala, ut bona eveniant; exſpectandum, licet in ſummo periculo mater, donec infans in anguſtiis ſuffocatus, incontaminato inſtrumento erui poſſit: niſi mater hujus mortem non præſtolata, doloribus ſuccumbat, & mortua ventri ſuo excidendi infantis, forſan vivi, præbeat occaſionem; ne is eodem, quo mater, obtegatur tumulo; ſicque non ſervatus dum potuit, revera occidatur.

§. IX.

Verum Alii, horum omnium crudelitate perterriti, utrique parcere ſtuduerunt. Sed quid! vivæ matris ventrem audacter incidi juſſerunt;

ut

ut cui fœtui naturalis non pateret via, artificialem ſuggererent. Multis admodum exemplis teſtificari anniſi ſunt hanc Sectionem, *Cæſaream* ſive *Gaſtrotomiam* dictam, opportune, rite & perite inſtitutam, omni periculo vacaſſe; ex illa parturientes ſæpe minorem, quam ex partu ordinario dolorem ſenſiſſe; easdem optime convaluiſſe, ac deinceps iterum iterumque prægnantes viâ ſolitâ feliciter peperiſſe; atque tum matris, tum fœtus reſpectu, illam tali cautione propoſitam, non adeo anceps quam inſons remedium eſſe.

§. X.

Rurſus Alii hanc rem non adeo ſibi perſpectam habentes; Omnes feminæ, ajunt, beneficiis Naturæ fruantur, quæ manus ſuppeditant; eas ita fortitudine, ſolertia, ſenſu inſtruxit, ut matri neque incutiant timorem, neque periculum creent, & incolumem educant fœtum. Monſtra ipſa ingenti ſua non impediuntur mole, forasque integra amandantur: Ne ergo Cultro, Uncis, Cochleis ferreis, Laqueis, aliisve inſtrumentis horribilibus inſtructus infanti accedas, Vivo reclamant omnia, Mortuo vetant ratio & auctoritas. Hac autem ratione toti operi vel ſola Natura & tergiverſatio, vel Pharmaca, vel mutatus matris ſitus, ſolæque denique Chirurgi manus ſufficere, humaniter valde, neque e re ſua aſſeruerunt: ne illos memorem, qui pugno ſuo, imo capite parturientis abdomini violenter impacto, infantem hac ratione expellere, quam inſtrumentorum uſum adoptare maluerunt.

§. XI.

Interim denique Alii; ut litem componerent, & rem ad deſideratæ hactenus perfectionis faſtigium perducerent, vivum infantem ex illæſa matre protrahendum docuerunt: hoc opus hic labor erat. Omnis quidem ferreæ farraginis acies proſcribenda, licet manus ſæpe deficere viderent: Quid ergo? quod Natura illis negaverat, arte ſupplerunt, manibus ſibi comparandis artificioſis, quarum pro lubitu quaſi conſtructarum ope infantis caput rite ac tuto apprehendere forasque ducere poſſent.

§. XII.

Heu quanta hic iterum diverſitas! non ſolum quoad inſtrumentorum fabricam, magnitudinem, formam & numerum, ſed & quoad eorum agendi rationem ſeu mechaniſmum: vel enim Recta ſunt vel Curva; vel Simplicia, vel Duplicia; Alia decem, Alia quindecim pollicum longá, & ex diverſa materie conflata: In hoc tantum quodammodo conveniunt, quod omnia machinæ ſint ita dictæ ſimplices, Vectes ſcilicet, & quidem primæ ſpeciei; qui Centrum motus inter Potentiam moventem (manum Chirurgi) & Corpus movendum (caput Infantis) poſitum habent: Verum quam maxime iterum differunt, quoad ipſum centrum motus, ut poſt viſuri ſumus: præterea varie quoque agunt, vel caput comprimendo, vel illud propellendo, vel denique viam dilatando.

§. XIII.

Quum tamen cardo rei in eo vertatur, quod omnia hæc inſtrumenta excogitata ſint ad matrem et infantem ſervandos, facillime antea memoratis truculentis palmam præripiunt. Verum quodnam hic ſeligendum? duodecim & ultra varia dantur hodie & in uſu ſunt. An ergo omnia bona ſunt? An omnia æque cito, tuto et jucunde curant? Bona ſunt, ſi fides ſingulis eorum Inventoribus & Patronis, felici enim ſucceſſu adhibentur. Interim diverſiſſima ſunt: An pro vario caſu varium adhibent inſtrumentum? Minime; ſuo tantum unico quisque utitur. An itaque eidem caſui inſerviunt? Capiti incuneato protrahendo, meum inſtrumentum inſervit, unusquisque reſpondere non hæſitat. Unde ergo tanta diverſitas? Ante oculos ponere liceat Parturientem, juſto longius neque absque periculo partum fruſtra exſpectantem, capite infantis prævio: accedant duodecim Chirurgi, ægram explorent, inverſionem infantis tentari non poſſe, adeoque ejus caput incuneatum pronuncient: Ergo manus ad hoc opus non ſufficiunt, ſed artificioſæ illis ſubjungendæ ſunt. Quisque jam ſuum in modum manus ſibi comparet: quaenam ſeligendæ ſunt? utrum longiores, brevioresve; num rectiores an cur-

curviores, an ſimplices, an duplices; an nudas ferreas, manicisſve indutas?

§. XIV.

Quum primum artis obſtetriciæ ſtudio me accingerem, immane quantum hæſerit aqua, tanta ibi discrimina offendenti, ubi ſummam quisque certitudinem merito exſpectaſſet. Quid ergo ſubeſſet ſuspicatus, in varias omnium fere, quorum ſat ingens eſt numerus, Auctorum ſuper hanc rem opiniones inquiſivi, ut erutis totius controverſiæ fontibus, conamina mea, qua hodie fruor occaſione, publici juris facerem. Verum veritus, ne Disputationis inauguralis limites longe tranſgreſſurus ſim, ſi quæ dicenda habeo, illi inſeram; præcipue quum illotis adeo manibus rem aggredi non poſſem, quin varia huc facientia de pelvis oſſeæ articulationibus, dimenſionibus, ſitu ad reliquum corpus, atque axi ſeu directione; nec non de utero & graviditate quædam adjiciam, ut & partum naturalem breviter depingam: ſatius itaque duxi ſuccinctam hanc præmittere delineationem; atque dein, ſi ita viſum fuerit, reliquum negotium pro dignitate elaboratum exhibere.

Interea ad meum thema revertor.

§. XV.

Antea tantam in eundem morbum curandum remediorum varietatem mirati ſumus merito: verum quisque mirari deſinet, ſimulac varias ſupra hoc negotium auctorum mentes inter ſe comparaverit. Ne putet mehercle, quod eaſdem agnoſcant difficultatum cauſas, aut eundem velint morbum, eodem licet utantur morbi nomine: Magnitudinem quidem capitis infantis, ejuſve & matricis ſitus perverſos, nec non oſſeam viam, quam mater præbet, capiti infantis non proportionatam vel deformatam alii aliique plus minusve anſam dare partui difficili conveniunt: ſed præcipuus latet error in deſignando obſtaculorum per totam viam occurrentium loco, quo caput ad variam altitudinem ita retineri poteſt, ut neque naturali partus labore, neque obſtetriciis manibus prodire queat. Ne illorum mentionem faciam, qui generale morbi nomen noſcere conten-

tenti, generalem & vagam adoptarunt cauſam: horum tota fere cognitio, obſtetrice quam Chirurgo nedum Anatomico dignior, vix ulterius ſe extendiſſe videtur, quam vagum illud & omni hodierna lingua receptum dictum permittit, quod audit: *Caput infantis incuneatum eſt in via*: Partium ergo fabricam negligentes, neque ſui neque aliorum inſtrumentorum agendi rationem cognoverunt; atque uti in inveniendo ita in illo adhibendo fuerunt incauti.

Enim vero plerique cauſarum ſolliciti, partium ſtructuram perſcrutati ſunt, ſed quare neſcio, unum ſolummodo ſive cauſarum ſive obſtaculorum genus agnoverunt multi: hoc princeps habuerunt obſtaculum, & reliqua vel pluris vel minoris æſtimantes, aut plane negligentes, huic tollendo ſuum inſtrumentum adaptarunt: pro vario itaque obſtaculorum loco, inſtrumentum quoque diverſum erat.

§. XVI.

Exinde jam tot inſtrumentorum origo abunde liquet; prout enim levius graviusve, vel anteriora vel poſteriora verſus vel magis introrſum hærere credidit obſtaculum, aut nullo, aut minore, aut majore inſtrumento uti maluit quisque Inventor. Sed quod pejus eſt, quidam hanc obſtaculi cauſam locumve generalem fere habuerunt, & quoties parturiens in eo eſſet, ut infantis capite prævio fruſtra partum exſpectaretur, hoc obſtaculum in cauſa eſſe opinati ſunt; quod ita ſecundum ſuam quisque methodum curare tentavit; ſat felici ſæpe (non quoad exorta incommoda ſed quoad vitam ſuperſtitem) eventu, quum difficillimus caſus ſimul ſit rariſſimus; verum eo quoque deventum eſt, ut dum optato ſucceſſu deficeret, nequaquam ſuæ Encheireſi, ſed neſcio cui caſus difficultati adſcripſerit; adeoque ſibi, ſaltem aliis perſuadere ſtuduit, ſeſe ſecundum hanc ſuam methodum caput fere ſemper decuneare (ut ita dicam) poſſe; & cum hanc totis viribus unicuique commendaret, ceteras ſive eidem ſive alii cauſæ dicatas vel poſtpoſuit, vel ut invalidas & nocivas rejecit: imo inde factum eſt, ut quidam velut commoda ſui inſtrumenti reputarint, quæ non ſolum reſpectu aliorum obſtaculorum, ſed & in ipſo hoc, quo adhibentur, caſu, potius ſint incommoda; ut & vitia in aliis redarguerint, quibus ſuum ipſum obnoxium ſit inſtrumentum.

Con-

Conſtat quoque ex hac vel leviori vel graviori poſita cauſa, unde, dum alii ſolis manibus, alii iterum ſuo inſtrumento parturientium infantumque millia ſervata eſſe dixerint, qui ceteroquin periiſſent; alii tamen hunc caſum multo minus familiarem habuerint: ut ut eſt, Antiquis ſane injuſtus foret maxime, qui tantam infantum ſtragem illis imputaret, quantus hodie ferramentorum ope educitur numerus. Nam licet alto premam ſilentio, honeſto pectore indigna principia, quibus fortaſſe impulſi ſunt temerarii, attamen in poſterum, credo, patebit, quosdam ſuum inſtrumentum in uſum vocaſſe, ubi imminens periculum capiti incuneato non adeo eſſet tribuendum.

§. XVII.

Adſcribere itaque non dubito multiplicem hanc opinionem variæ rei perquirendæ rationi. Quam tamen neceſſaria ſit hæc perquiſitio accurate inſtituta, nemini inficias iverit, perpendenti, quantum interſit, ſi ullum, ſaltem hunc morbum cognoſcere, prout a ſuis cauſis dependeat. Partium igitur fabrica inveſtiganda eſt, & varii, quibus & matri & infanti ſæpe depravatur, modi; atque inde variæ eruendæ ſunt cauſæ, quæ capiti infantis exitum denegent, impediantve.

Conſiderandum ergo habemus infantem libere in molli matris abdomine accretum, viæ, quæ transeunda erit, quaſi neſcium; & ipſam hanc viam ſtabilem, & reſiſtentem, per quam ut ut anguſtam & deformem tenellus ille, tenero, ceterisque partibus majore capite plerumque prævio ſub quovis capitis volumine & ſitu, ſummis matris conaminibus propellatur & tranſire debeat.

Quamvis enim in hiſce anguſtiis pluribus Naturæ beneficiis fruatur infans, cujus Capitis oſſa ſe invicem tranſcendere, ſicque ejus volumen imminuere poſſint; atque caput hanc compreſſionem ſufferre illæſum; nec non ipſam oſſeam viam, ſolutis articulis, dilatare queat: attamen vel mutuus matrem inter & infantem partium habitus non proportionatus; vel multiplex utriusque deformitas, vel tandem eorumdem ſitus minus idonei, ſimiliaque, maxima imo ſoli Naturæ inſuperabilia ponunt obſtacula, quæ capiti vel ipſum pelvis ingreſſum recuſant, vel dein ejus exitum impediunt, vel ſummo utriusque periculo retardant.

B §. XVIII.

§. XVIII.

Sed rei dignitas requirit altiorem, licet brevem horum omnium indagationem. Multa quidem hic de Pelvi, de uteri capitisque Situ, imprimis de Partu Naturali, præmonenda eſſent, quæ jam omitto: non poſſum tamen, quin ſequentia præmittam.

1°. Ut infans ex utero in lucem prodeat, quatuor illi transeunda ſunt veluti oſtia: duo mollia ſive carnea, *orificium* nempe *uteri* ſive os Tincæ, & *orificium externum* ſive vulvam, intermediam vaginam habentia: duo oſſea, *oram* ſcilicet *pelvis ſuperiorem*, a margine oſſium Pubis & Sacri ſuperiore & oſſium Ilium inferiori circumſcriptam; atque *oram pelvis inferiorem*, ab oſſium Pubis divaricatione, a tuberibus & proceſſibus acutis Iſchium, & extremo Coccyge efformatam, quæ duæ oræ intermedium id habent, quod vocatur Pelvis cavum.

2°. Oborto Partus labore, ut per hæc oſtia tuto & facile dirigatur expellaturque infans, requiruntur, præter multa alia hic non memoranda, bona illorum conformatio & ad caput proportio: capitis ſoliditas & volumen juſto non majora: ipſius reliquique infantis, orificii totiusque uteri debitus ſitus. Unumquodque ex his contrarium ſufficit ad partum plus minusve difficilem reddendum.

3°. Inſpectio anatomica docet, Cavum pelvis recentis bene conformatæ eſſe capacius quam utraque ora; atque oram ſuperiorem, ſi quodammodo latior ſit inferiori, ſaltem anguſtiorem eſſe dicendam, habitâ infantis transeuntis ratione, & conſideratâ ſuperioris Sacri vertebræ ſtabilitate, & Coccygis mobilitate. Adeoque ceteris paribus oræ ſuperioris non facilior eſt introitus, quam inferioris exitus.

4°. Breviter quoque monuiſſe ſufficiat, ad debitum naturalemque ſitum requiri non ſolum, ut infantis diametri transverſales reſpondeant pelvis diametris; ſed & ut infanti eadem quæ utero, utero eadem quæ Pelvi ſit directio: vel ſi ita mavis, ut infanti & utero & Pelvi una & eadem ſit axis; ita ut caput, cujus figura verſus occiput conoïdea eſt, hujus coni apice, centro orificii uteri inhærens, viribus uteri, diaphragmatis & muſculorum abdominalium deorſum agentibus, dirigatur ſecundum axin oræ pelvis ſuperioris.

5°.

5°. Omnibus ita rite ſeſe habentibus, ad partus initium, uteri orificium ante caput contractum in media ora ſuperiori pelvis hæret. Obortis jam contractionibus uterinis in orificium dilatandum agentibus, veri adſunt ad partum dolores; orificium ſenſim attenuatur, dilataturque; ſingulis doloribus primo Liquor Membranarum, dein his citius feriusve diſruptis, Caput infantis intra orificium adiguntur, illudque diſtendunt.

6°. Quum autem contractiones uteri, viribus diaphragmatis & muſculorum abdominalium adjutæ, caput in orificium ulterius dilatandum & cavum pelvis ineundum propellunt, caput illuc ſecum abducit orificium; donec illud plane vincat, dilatet, deleatque; ita ut ex utero in vaginam continuus pateat canalis; atque ſic deletum teneatur orificium, donec iterum, (poſtquam caput oſſeæ viæ jam accommodatum, maximâ diametro transverſali illud transgreſſum eſt) in collum infantis ſeſe contrahat, niſi ab humeris & reliquo infante cohærenter diſtenderetur; in contractionem enim ſemper nititur.

7°. Capitis vertex primus intra pelvis cavum amandatur; occiput verſus oſſium pubis arcum procedit, ibique fere immotum manet; quum interim facies unoquoque dolore totum illum ambitum ſenſim percurrit, quem conſtituunt os ſacrum & coccyx; donec tota facies cavum horum oſſium repleat. Caput interim hactenus ſecundum pelvis directiones deorſum verſus anum propulſum, jam iterum facie juxta Vaginæ ſeu potius Perinæi decurſum dirigitur; hac quidem ratione, ut varia capitis pars a vertice verſus ſynciput tactui & viſui ſucceſſive & alternis vicibus ſeſe offerat: interim jam perinæum prolongatum eſt & attenuatum, Nymphæ diſtenſæ, & quaſi deletæ ſunt, Vulvaque deorſum rapta, tota aperitur; tandemque ſynciput primum eâ erumpit.

8°. Quo magis his omnibus congruit Partus, eo propius naturali accedit: cito quidem aliquando abſolvitur, verum eo naturalior nequaquam eſt: Experiri tamen illa, ne quis tentare velit in partu jam ab ipſo principio huic vel parum contrario, nedum difficili.

9°. Denique hoc moneam, manifeſtum inde eſſe, cur partus progreſſus pubem verſus explorari nequeat, quum breve tantum ſit iter, quod occiput juxta pubem percurrit, ubi circa eundem fere oberrat locum, toto illo intervallo, quo ſynciput totum dictum trajectum circinat; quorſum ergo exploratio inſtituenda eſt.

§. XIX.

Jam ad ipſam Cauſarum inquiſitionem me accingam, quæ Partum capite infantis prævio difficilem reddere poſſunt.

Ad *Quatuor Claſſes* illas refero, prout quatuor diverſa effectuum genera creant.

Primæ Claſſis Cauſæ graviſſimum illum caſum producunt, quo infantis caput oram Pelvis ſuperiorem & reliquam viam oſſeam tranſire nequaquam poſſit; ſed fortiter adactum, undequaque compreſſum, immobile hæreat: verum ergo ſiſtit CAPUT INCUNEATUM, ſive *inclavatum*; Gallis *une Tête enclavée*, quod *De la Motte, Lib. III. cap.* 20. graphice his verbis depinxit: " Caput hanc oram ingreſſum, quantum poteſt intra il-
„ lam ſe inſinuat, ſed hac multo anguſtiore, quam quæ caput tranſire
„ ſinat; hoc ergo continuis & vehementibus matris conaminibus pro-
„ pulſum, longius fit & compreſſius, ut formæ hujus viæ ſeſe accom-
„ modet; unde pars ejus capillata adeo tumefit, ut appareat veluti alte-
„ rum ſeu duplex caput; quod tamen intra oſſa incuneatum manet, & exi-
„ re non poteſt; ſed eo magis ſeſe implicat, quo ulterius deſcendit,
„ &c."

Cauſæ jam, quæ hoc diriſſimum malum producunt, breviter hæ ſunt: Nimia pelvis anguſtia, vel varia deformitas; nimium capitis volumen ſoliditasque; ita ut debita non detur proportio caput inter viamque transeundam: valde perverſi denique ſitus, quibus hanc oram ingreſſum fuit caput.

Circa hunc caſum pauca hæc obſervanda ſunt: 1°. Præcipuum & generale ejus ſignum eſt tumor iſte a *Mottio* deſcriptus, & ſemper præſens, ſi infans vivus, aut ante partus initium non jam mortuus fuerit.

2°. Quum enim capitis baſis in hocce caſu margini pelvis inhæreat, dum interim maxima Cranii pars in cavum pelvis propendet, & illud ita replet, ut orificium uteri fere totum deletum ſit; iſte itaque tumor oritur non ſolum a relaxata oſſium invicem transgreſſorum cute, ſed imprimis ab impedito ſanguinis reditu ex illis capitis partibus externis, quæ margine pelvis interceptæ ſunt. Cranium & hicce tumor quandoque totam vaginam uſque adeo occupant, ut nemo niſi

C gna-

gnarus obſtaculum ad oram pelvis ſuperiorem hærere diceret.

3°. Præterea obſervandum eſt, capitis ſitus perverſos non ſolum obeſſe poſſe, quoniam ejus diametri pelvis diametris non reſpondeant; vel, quum figura ejus conoïdea ſit, quoniam loco verticis, alia quavis majoris ſuperficiei parte propellitur; verum inſuper quoniam hi ſitus impediunt, quo minus oſſa cranii ſeſe tranſcendant, ſicque capitis volumen imminuant: taceo ipſam dolorum vim, quæ debite tum in caput agere non poteſt; nec non talem ſitum minus aptum, quam qui dilatet ipſam viam oſſeam.

4°. Denique facile patet, caput non adeo poſſe dici incuneatum, ratione figuræ pelvis conoïdeæ, utpote cujus cavum ipſâ orâ latius ſit; ſed ratione capitis, illam figuram ſemper plus minusve præ ſe ferentis.

§. XX.

Secunda Claſſis ea ſiſtit incommoda, quæ non adeo oriuntur ex via capiti infantis non proportionata, neque ex mala oſſium conformatione, quatenus viæ capacitatem imminuunt; verum ex iis obſtaculis, quæ caput per totam viam oſſeam offendere poteſt, ita ut producantur vel ex ejusmodi virium infantem propellentium directionibus, quibus caput a recta via aberrare cogitur, atque in hoc illudve oſſium Pelvis, licet non deforme, impingitur; vel ex quadam horum oſſium mala conformatione, quatenus capiti, licet rite propulſo, obſtaculum præbere poteſt. Ergo hic primo conſideranda veniunt, ut cauſæ perverſæ actionis virium propellentium, omnes uteri Deviationes, & Situs infantis Obliqui, vel ſeorſim vel utraque ſimul exiſtentia, (quorum quidem Situum cauſa hic nihil ad rem:) dein ut obſtaculorum cauſæ veniunt omnia Pelvis oſſa, ut prima ſacri Vertebra, oſſa Pubis, Tubera & proceſſus acuti Iſchium, Inferiora oſſis ſacri, Coccyx, ceteraqne ſive deformia ſive bene conformata.

Hic quidem Caſus a Præcedenti differt, quod unicum hic præcipuum detur obſtaculum, cui caput ceteroquin ſatis liberum, ex quacunque memoratarum cauſarum allidens, & ut puncto fixo firmiter ſeſe applicans, ulterius progredi non poſſit; ſed totis continuo viribus propul-

 ſum,

ſum, eo veluti exitum quærat; dum interim (ſi obſtaculum alte hæreat) ipſum uteri orificium debite dilatare nequeat; ſed abruptis omnino partus aliquando doloribus, ibi infixum maneat: Tale ergo Caput potius vocandum cenſeo Inuncatum, quod Gallice haud improprie dici poteſt *une Tête accrochée.*

Multa circa hoc malorum genus animadverſione digna ſilentio prætereo: valent hic quoque, quæ *præc.* §. *n.* 3°. monui, & non ſolum de capitis, ſed & uteri ſitu, imo de ipſa mala oſſium conformatione quodammodo repetenda eſſent.

Signa autem horum caſuum, præter alia externe ad parturientis abdomen quoad ſitum corporis infantis obſervanda, ex vario orificii habitu, ejuſque & capitis ſitu innoteſcunt Tactu: addo, ſupra memoratum tumorem hic non adeo adeſſe.

§. XXI.

Quæ jam ſubſequitur Tertia Claſſis exhibet Caput suspensum, ita ut ſat libere in pelvis cavo, imo in ipſa Vagina quidem hæreat, tamen prodire nequaquam poſſit. Non rarus eſt caſus, & probe a capitis obſtaculis diſtinguendus, quum hic princeps impedimentum humeri infantis ſint, qui poſt transgreſſum caput, margini pelvis inſiſtunt: anſam huic dant nimia humerorum latitudo, vel pelvis anguſtia; verum frequentius ſoli ſitus infantis laterales, ita ut unus humerus verſus Pubem, alter verſus Sacrum hæreat, & deſcendere nequeant: quum interim caput lateraliter ſed ſat libere in vagina delapſum, foris videri ſit maneatque; ſimulque uteri orificium in collum infantis contrahat ſe, neque ab humeris irritetur, multo minus dilatetur, dolores ad partum plane abrumpuntur, totusque partus ſuſpenditur; qui tamen aliquando ſummo matris conamine citiſſime abſolvitur.

Ad hanc claſſem pertinet quoque funiculus umbilicalis minus brevis, vel circa collum infantis contorſus, Caputque retinens; minoris quidem reſiſtentiæ, haud minoris tamen periculi obſtaculum.

§. XXII.

Quum autem aliæ inſuper dentur cauſæ, quæ capitis exitum impedire vel retardare poſſunt, licet a via oſſea vel infantis uterive ſitu, ſimilibusque ſupra recenſitis non dependeant; ad Quartam & ultimam illas refero Claſſem, quæ ſiſtit Caput Retardatum; atque ea continet incommoda, quæ a partibus præſertim mollibus, vel alia cauſa particulari producuntur, & talis indolis ſunt, ut potius quemcunque partum, quovis fiat membro prævio, retardent: Ergo præter innumera alia, huc imprimis ſpectant: Orificium uterinum nimis rigidum, ſpasmodice contractum, calloſum, ejus vel vaginæ partiumque vicinarum tumores, aliuſve prægreſſus morbus, aut impedimentum, quo minus debite ſeſe dilatent: Præterea placenta ipſi orificio uteri inſerta: ut &, ſi iis adnumerare velis, membranæ infantis nimis tenues, adeoque præmaturus aquarum effluxus; vel & membranæ nimis tenaces, ſimiliaque id genus mala ſæpiſſime ſola Naturæ vi ſuperanda. de induſtriâ multa alia hic taceo, perverſe ad cauſas relata; quum partus jam aliunde difficilis nihil ſint niſi ſymptomata, de quibus poſtea.

Cauſis tamen accenſendum eſt obſtaculum, oriundum ex alio infantis membro, ut uno alteroque brachio, ceteriſque, quæ caput comites habere, atque ei exitum prohibere poſſunt: de his tamen non adeo mihi agendum eſt; taceo quoque monſtra, gemellos, infantem in utero jam putredine correptum, & reliqua; ſed eum vivum ſuppono, vel ſaltem non diu mortuum, & parturientem ſatis ceterum ſanam vegetamque, gravi alio morbo non laborantem.

§. XXIII.

Imperfecta forſan hæc eſt Diviſio; ſua tamen, niſi omnia me fallunt, utilitate non deſtituta; ſecundum veram cauſarum indolem & effectus digeſta, atque Multorum experientia & obſervationibus ſtabilita; ita ut nullum, quantum ſcio, obſtaculum memoraverim, quod melioris notæ auctoritate careat; & ſimul partium ſtructuræ & agendi legibus non congruat; etſi omnia æque frequenter nequaquam occurrant; ſingula clarius paterent, ſi mihi eſſe liceret fuſiori.

Bre-

Breviter tamen quoad obſtaculorum locum, e ſuperioribus recolligam: Quum ad ipſum partus initium vitia ſitus capitis vel matricis primum ſuum effectum edant ad Oram Pelvis Superiorem: Quum ad Illam capitis volumen, oſſibus ſeſe tranſgreſſis, imminui debeat: Quum Oræ hujus deformitates maximi ſint momenti, veluti prima ſacri vertebra introrſum, aut pubes introrſum vel ſurſum raptæ: Quum tutum etſi jam caput, humeri infantis huic Oræ inſiſtere poſſint: Quum denique conaminum infantem propellentium vires hic debiliores adhuc exiſtant; Ex his omnibus manifeſtum eſt, Partui ſi non frequentiora ſaltem graviora naſci debere impedimenta ad Oram pelvis Superiorem, quam in reliquo pelvis cavo, vel quam ad Oram Inferiorem: hic enim vitia ſitus capitis & uteri leviora & dolorum viribus facilius corrigenda vel ſuperanda; capitis præterea volumen viæ jam accommodatum; & minoris momenti horum oſſium deformitates; nec non humeri ad ſe invicem jam compreſſi; atque tandem maxima virium expellentium potentia, maxima a partibus mollibus obſtacula removens.

Quantum vero ad partum artificialem inverſo infante inſtituendum, hunc ad inferiorem oram difficiliorem eſſe quam ad ſuperiorem, non eſt quod memorem.

§. XXIV.

Antequam Curationi me accingam, ne ſæpius eadem repetam, quædam ſymptomatum mentio erit facienda; quisque enim ſuperiorum caſuum pro levioribus vel gravioribus, quibus ſtipatur ſymptomatibus, ſi non diverſam plane, ſaltem ſubitam aut dilatam magis exigat curam, imo quum aliquando ſola Naturæ vis ſufficeret ad partum abſolvendum, ob ſummum tamen, in quo cum infante verſatur, periculum mater, ubi diutius moras necteret ille, promtisſimum & efficaciſſimum artis auxilium requirit.

Hæc autem Symptomata recenſere nimis longum foret: neque multis demonſtrare neceſſe eſt perverſam illorum agendi methodum, qui Ea, pro ipſa partus difficilis cauſa habentes, & nulla vel debita non inſtituta exploratione, fruſtra imo nocive aliquando curare conati ſunt, quum ad ipſas, a quibus directe producuntur, partus difficilis cauſas non attenti,

has

has pro re nata tollere neglexerint. Exemplo ſit ſumme culpandus Pellentium uſus, quæ ex quacunque cauſa deficientibus veris ad partum doloribus ſecundum incautam quandoque obſtetricis relationem exhibentur, & raro boni quid, multum ſæpiſſime mali producunt.

Medicina tamen nequaquam ex Arte Obſtetricia proſcribenda, verum prudenti ipſius partus examini ſubjicienda eſt. Innumera enim ſymptomata ſunt, quæ partui ſuboriri poſſunt, E. G. Parturientis convulſiones, hæmorrhagiæ, animi deliquia, ſubita virium proſtratio, plenarius verorum ad partum dolorum defectus, multaque alia; quæ omnia dum oriuntur, cauſam quandam agnoſcunt; quæ cognoſcenda eſt, ut pro varia indole & majore aut minore, quod minatur, periculo, varie tollatur.

Itaque ut ad meos caſus revertar: quum hæcce ſymptomata parturientem adoriuntur, cui a capite prævio partus difficultas aut periculum gravius non obſervatur, egregius ſane tutusque Pharmacorum, Venæ Sectionis ſimiliumque uſus: Verum enim vero ubi tantum partus obſtaculum adfuerit, quantum nulla Naturæ vi, ſed ipſarum manuum ope, ſuperandum; vana redditur a Medicina omnis Partus ſpes: quanto magis tum etiam efficax & promtum qualecunque artis auxilium requiritur, quum ſummum in mora periculum fuerit, & ne ipſis aliquando manibus præbeatur partus citiſſime abſolvendi occaſio.

§. XXV.

Quantum jam ad ipſam partus difficilis capite prævio Curationem; quum ſupra in ejus cauſas inquirerem, illas adeo diverſas obſervavimus, ut eadem ratione tollendæ nequaquam ſint: Ex maximo quidem earum numero illæ oriuntur difficultates, de quibus inter omnes conveniat, ut, licet caput in via retentum ſit, nullo inſtrumento indigeant, ſaltem non eo, quo caput protrahatur; ſed quibus ſub debito parturientis ſitu, vel ſolæ manus ſufficiant, quarum ope caput in rectam viam reducatur, aut infans inverſus pedibus protrahatur: vel Medica aliave Chirurgica curatio requiratur, qua amplior & liberior evadat via. Verum præterea alia etiam oriuntur impedimenta, quibus niſi inſtrumentorum ope ſublatis, infans prodire & parturiens ſalva eſſe nequaquam poſſunt.

ſunt. Imo denique tanta oriuntur obſtacula, quæ nullo modo caput, niſi fractum & imminutum protrahi ſinant; niſi forſan Partus Cæſareus hic præferatur.

§. XXVI.

Etenim vero quam ardua res eſt, varios hos ita diſtinguere caſus, ut optima ſemper eligatur curatio! Ingens hic Auctorum diſſenſus: Miſſis enim iis, qui nullum inſtrumentum adhibere voluerunt, quo infantem vivum educerent, ne quidem inter reliquos convenit, qui iis utuntur: adeo ut hi infantem inverti jubeant, ubi id fieri non poſſe exiſtimant illi; alii rurſus ſuo inſtrumento utuntur, ubi ne vel ipſa inverſione opus eſſe, ſed ſola Natura, arte paulum adjuta ſufficere contendunt alii: quidam contra infantem nequaquam vivum protrahi poſſe credunt, ubi id ſeſe perficere aſſerunt alii. Variis ſane illorum inſtrumentis hoc adſcribere, quis hæſitat?

§. XXVII.

Primo jam illos caſus videamus, qui licet caput prævium partusque difficilis ſit, nullum tamen inſtrumentum, quo caput protrahatur, ſed peritas tantummodo manus exigunt. De illis tamen, quæ §. XXII. memorantur incommoda, ſeorſim poſthæc loquar.

Bonâ profecto parturientium fortunâ, ſat magno ſunt numero hi caſus, ſæpius non adeo difficiles dicendi; qui tamen multo foret major, ſi præpoſtera obſtetricum conſilia Chirurgum nimis diu non arcerent; atque imperitæ illarum manus opus illi arceſſito ante relinquerent, quam omnia in pejus ruere cœperint, & idonea occaſio præterfluxerit; tanto cuique vero hujus artis magiſtro gratior, quanto magis hæcce manuum auxilio curandi methodus illam ſemper antecellit, cui nil niſi inſtrumentorum uſus ſuperſtes eſt. Quid enim in tantis anguſtiis Parturienti tutius, quam debite mutatus ejus ſitus, & prudentes obſtetricantis manus, quarum una Vaginæ (alteraque interdum Inteſtino Recto) immiſſa, adſtantium auxilio extrinſecus quandoque adjuta, obſtacula, niſi graviora fuerint, ibi varia ratione removeat ſuperetve, atque ipſum caput ſecundum

dum juſtas Encheireſes verſus rectam viam ducat; & reliquum opus Naturæ ſat adhuc validæ committat: Niſi quidem tale fuerit impedimentum, quale requirat, ut manus ipſi matrici immittatur, qua, capite infantis debite remoto, ejus pedes quærantur, & protrahantur, atque infante Inverſione, ut vocatur, educto, totum partum juxta artis regulas feliciter abſolvatur.

§. XXVIII.

Haſce ergo curandi methodos, in omnibus partus difficultatibus, quantum licuerit, ſequamur prudentes: citiſſime præſertim infantis verſioni Nos accingamus, quum parturiens magnas moleſtias diu & incasſum paſſa, viribus adeo fracta ſit, ut nullam ſpem relinquant: Nullo quoque modo hæſitandum, dum ob graviora oborta ſymptomata periculum in mora ſit; qualia ſunt Parturientis convulſiones, aut hæmorrhagiæ ſive uterinæ, ſive aliæ quæcunque.

§. XXIX.

Utinam ſemper hanc methodum ſequi poſſemus! Verum tanta non raro obſtant impedimenta, ut omne tentamen reddant irritum: Præter enim longum poſt effluxum amnii liquorem temporis intervallum, quo firmiter ſupra infantem ſe contraxit uterus, & nullum reducendo capiti reliquit locum; ipſum caput nimis jam deorſum intra pelvis oſſa hærens, illum verti ſæpiſſime vetant: id quod nulla ratione fieri poteſt, quum caput jam in vaginam delapſum eſt, ita ut omnino tranſierit orificium uteri. Nimia inſuper pelvis anguſtia, aut capitis volumen, non ſolum inverſionem maxime difficilem reddunt, ſed & illam, etſi fieri poſſet, potius vetant, ob majorem dein poſt eductum corpus, capiti tranſituro obortam difficultatem.

Hæc ergo præcipua obſtacula ſunt, quæ impediunt, quo minus omnes partus difficiles prævio capite, inverſione abſolvantur, & quæ nec matri nec fœtui ullam niſi ab inſtrumentis relinquunt ſpem.

§. XXX.

Quod jam ad illos caſus attinet §. XXII. recenſitos, quibus præcipua partus difficultas oritur a partibus mollibus, quæ Infanti transeundæ ſunt: His maxima ex parte vel ſola Medicina vel Chirurgia, diverſa tamen quam memorata ratione opem ferre poteſt. Orificii enim uterini vicinarumque partium Rigiditas, ſpaſmodica Contractio, &c: pro re nata vel interne idoneis exhibitis Pharmacis, vel topice applicatis, vel ſecta Vena, vel injecto clysmate, ita curantur, ut hæ partes relaxentur, dilatentur magisque humeſcant: Illarum quidem Concretiones præternaturales Chirurgica operatione diſſolvuntur; tumores ſimiliaque exſtirpantur. Difficultas tamen quæ a Placenta ipſi matricis ori inſerta, illius ab una alterave hujus organi parte prudens requirit Chirurgi manu ſolutio, & infantis per pedes extractio; ut lethalis præcaveatur hæmorrhagia.

§. XXXI.

Hiſce breviter recenſitis, proxime illæ noſtri Partus examinandæ ſequuntur difficultates, quæ ſublevari & poſſunt & debent machinis talem in modum fabrefactis, ut infantum, qui nulla alia ratione prodire posſunt, vitæ parcant. Has interim difficultates ſæpe toto coelo differre, ſed ſimul unumquemque inſtrumentorum multitudinem abhorrere & unico tantum inſtrumento uti amare ſupra vidimus: Quis ergo negaverit illud inſtrumentum omnium eſſe optimum, quod maximo caſuum numero conveniat, & ſat facile applicari poſſit: quod ſat magnum ſit, ubi magno opus eſt; cujus volumen non obſit, ubi minor requiritur; quo denique neque mater neque infans lædi poſſint. Videamus quid boni de ſingulis illis exſpectandum ſit.

§. XXXII.

Quatuor præcipua hic ſeſe offerunt inſtrumentorum genera, hodie pro vario Eorum Auctore in varia Europæ regione præprimis in uſu: ſcilicet *Forceps Recta*, *Forceps Curva*, *Forceps Parva*, & *Vectis*: Horum primum,

mum, prout a longo tempore multi in Anglia & Gallia Viri illud mutarunt & diverſimode correxerunt, variis nominibus inſignitum, ſed aliquot abhinc annis frequentius adhibitum fuit: Alterum *Levretum*, Tertium agnoſcit Inventorem *Smellium*, illum Pariſiis, hunc Londini degentes. Quartum denique jam ante ſeptuaginta circiter annos a *Roonhuiſio* Amſtelodami ſive compoſitum ſive in hac Regione primum adhibitum; continue dein in arcanis habitum, & nuper duorum illius Urbis Medicorum ſingulari favore publici juris factum fuit.

Reliqua autem ut *Meſnardi*, *Bingii*, *Burtoni*, *Pughii* aliorumque inſtrumenta, ne nimis exſpatier, taceo, quippe quæ ad unum alterumve memoratorum referri poſſunt, quoad præcipuum eorum ſcopum.

§. XXXIII.

Proximum jam foret, ſingula hæc inſtrumenta, quoad fabricam & uſum deſcribere, atque eorum adhibendorum exponere methodum: quum ex ipſis eorum Auctoribus, vario ſermone uſis, ſat adeo imprimis in hac Regione innotuiſſe illa non credam Omnibus, quorum maxime intereſt, ut judicent, multo minus ea ſibi comparent: verum impræſentiarum hic ſufficere nequeo, utpote quod præſtari non poſſit abſque adjectis præſertim eorum Iconibus naturali, ut dicunt, magnitudine æri inciſis: ſuccincte tantum perluſtraturus ex conſiderata ſingulorum fabrica & agendi ratione, partiumque ſtructura non ſolum, imprimis inſuper ſecundum ipſorum Inventorum opiniones, quibusnam in caſibus unumquodque proprie conveniat: ſtatim ſimul nequaquam eandem hujus morbi fuiſſe ideam patebit. De particulari ad magis univerſale progrediamur.

§. XXXIV.

En primo Vectis Roonhuisiani uſum ſecundum ipſam, quæ nobiſcum Belgico ſermone communicata eſt, deſcriptionem, *Libro* ſuperiore anno edito, cujus titulus *Arcanum Roonhuiſianum revelatum & vindicatum* &c: *pag:* 13 *& ſeqq.*

„ Quando infans ob Pelvis anguſtiam, ob capitis magnitudinem &
„ ſoliditatem, vel ob utramque hanc aliasque cauſas poſt effluxas a-

 „ quas,

„ quas, capite in via retinetur manetque, cum matre in periculo ver-
„ ſatur: Ejus enim caput jam ex utero (qui pone caput receſſit atque
„ ita dilatatus eſt, ut cum Vagina eandem efformet aperturam) in
„ Pelvim delapſum; occipite margini oſſium Pubis ſe adfigit vel infigit
„ (id quod pro maxima & forſan unica reſiſtentiæ cauſa habendum eſt)
„ a lateribus quoque comprimitur ab oſſibus coxarum, & verſus poſte-
„ riora, ſed non ſemper ab oſſe Sacro, quibus omnibus adeo firmiter
„ compreſſum manet, ut neque ad latera capitis & oſſa coxarum, ne-
„ que ſurſum ad Pubem, aliquid tangi vel introduci poſſit: verum ſo-
„ lummodo hiſce in difficultatibus in Vagina, quæ nunc brevis, dilatata
„ & tenſa eſt, a parte poſteriore verſus inteſtinum rectum & ſupra il-
„ lud, intra caput (frontem ſc.) atque deſcripta oſſa major apertura
„ (ſ. plus luminis) invenitur ad longitudinem plerumque unius articuli
„ digiti, per quam juxta frontem ſurſum aliquid ſat commode introduci
„ poteſt; quod hic imprimis obſervandum eſt, quum in eo præcipua
„ partus hujus artificioſi pars ſita ſit: Infans jam hac ratione in via
„ remanens inverti nequit (quod fieri poteſt, ubi [*caput*] nondum
„ tranſiit os uteri, & ſat alte in Vagina hæret) quum manibus, quibus
„ præterea nullus locus relictus eſt, nequaquam repelli poſſit, contractis
„ jam uteri fibris. —— Verus capitis ſitus exploratione obſervatur natu-
„ ralis; ita ut apex digiti tangat oſſa Verticalia, in eo loco quo oſſi
„ occipitis junguntur. —— Caput ſæpius percipitur complanatum, quod
„ indicit vehementiam compreſſionis, vel quoque ejus ſitum lateralem:
„ plerumque ex capite incuneato prorumpit capillatus tumor magnitu-
„ dine pilæ luſoriæ, oriundus a cute ex transgreſſis cranii oſſibus laxata.
„ Quum caput ita, ut plerumque fit, ſitum eſt, tutiſſime *Roonhuiſii*
„ Machina in uſum vocatur: verum ſæpe uni vel alteri lateri inverſum
„ eſt, tumque majore prudentia opus eſt."

§. XXXV.

Miror maxime hæc omnia, multaque alia ad ipſum hujus inſtrumenti uſum ſpectantia in Gallica hujus tractatus verſione Pariſiis edita, neſcio quare, omiſſa eſſe. Breviter jam addam, quod inſtrumentum introducatur a parte Sacri, illis cautelis ne aliquid intercipiatur intra illud & caput, orificium ta-

tamen uteri hic non adeo metuendum eſſe dicitur, quum jam pone caput receſſit, & ſi ſat deorſum adhuc ſitum eſſet, potius exſpectandum eſſe, quum opus tum non adeo tutum ſit. Quod dein inſtrumentum juxta latus capitis ſurſum promotum; inter illud & ſymphyſin Pubis, Occipiti applicetur: quod tandem manubrio ſurſum elevato, caput paululum trahendo & contra ſymphyſin premendo expellatur.

Verum dein altera hujus tractatus Editione, *tres diverſæ* hujus inſtrumenti inſuper exhibentur *Species*, talem quidem in modum a priori deſcripto diſcrepantes & mutatæ, ut ſecundum eorum Auctores vel Parturienti minus nocivæ ſint, vel ut commodius introducantur. *Primum* horum inſtrumentorum introducitur quidem ut præcedens, ſed ita curvatum eſt, ut minus nocere poſſe dicatur ſymphyſi, & ut caput in caſibus levioribus protrahatur potius intacta ſymphyſi, niſi obſtaculum nimis magnum fuerit, & altius ad Pubem hæreat. *Secundum* habet manubrium rotundum, cujus favore, dum inſtrumentum hoc non ad Sacrum ſed parte concava verſus Pubem introducitur, ita verti poſſit, ut pars concava occipiti applicetur, caputque expellatur. *Tertium* denique manubrio etiam rotundo ita curvatum eſt, ut pars concava capiti obverſa ſtatim intra illud & pubem immitti queat, & verti non debeat, ut capitis fiat expulſio.

§. XXXVI.

Debitæ profecto perſolvendæ ſunt gratiæ illi Medicorum Pari, qui hoc inſtrumentum ſibi compararunt non lucri ſpe, ſed ut in publica commoda palam facerent, ſicque cunctos hujus artis Magiſtros, imo & illos, qui commodi inſtrumenti compotes, tanti tamen nominis arcanum noſcere deſiderabant, ex ea qua tenebantur incertitudine liberarent; quorum tamen num reſponderit exſpectationi, affirmare nequaquam audeo: ut ut eſt, quum me perſuaſum habeam, clariſſimos hoſce Viros, quorum nomina veneror, magis artis quam detectæ hujus machinæ emolumento ſtuduiſſe; hinc firma ſtat illorum Gloria, licet vel aliquantulum hujus Inſtrumenti fama in dubium venire poſſet: quanto facilius mihi veniam impetravero, quum ſecundum ipſam, quæ Nobiſcum communicata eſt, deſcriptionem, etſi parum meis, quæ partim ſupra propoſui, principiis con-

congruat, aſſentiri malim optimo ejus uſui illis in caſibus, quibus nobis commendatur, ſc. quando caput orificium uteri jam transgreſſum & ſitu plerumque naturali ad oſſa Pubis & in reliquo Pelvis cavo offendit obſtacula, quam vel verbulum quidem, quantum ad hæc addere, imo aliquod movere dubium, ſed juxta datam fidem acquieſcere velim in commoda & innocua hujus inſtrumenti agendi ratione.

Aliis ergo videatur orificio uteri pone caput in collum infantis contracto, Veſicæ, Urethræ, partibusque externis, & ipſi infantis capiti, imprimis quando forte humeris retinetur, maxime nocere ſummosque creare poſſe parturienti dolores; & neſcio quæ alia; ſaltem agnoſcere debebunt etſi minoris efficaciæ, tutioris tamen uſus eſſe ubi illius ope caput intacta ſymphyſi protrahitur potius quam deprimitur. Rem in medio relinquo.

Interim mihi ſufficit, alia quoque inſtrumenta nobis ad manum eſſe, de quibus nullum dubium, quin peritâ manu adhibita nocivos edere effectus nequeant; & quæ inſuper non ſolum his, ſed & aliis gravioribus conducant obſtaculis, neque naturæ vi neque ſola manu ſuperandis, ad oram pelvis ſuperiorem præcipue oriundis, quando caput maxima ſua diametro neque pelvis cavum intravit, neque orificium uteri tranſiit; vel quando illud jam tranſiit, ſed humeri verſus Sacrum & Pubem hærentes infantem retinent; cujus quidem caſus, ut ſat frequentis aliquam in dicto Tractatu mentionem deſideraveram, quum præcipuum ibi ejus ſignum & ſymptoma memorentur, *capitis nempe valde deorſum hærentis ſitus lateralis, & dolorum ad partum defectus*, qui ſemper adeſt, ubi orificium jam pone caput ſitum eſt, & humeri mox non ſequuntur: ſi itaque inſtrumentum in hoc caſu uſurpetur, & nulla humerorum habeatur ratio, Aliis dijudicandum relinquo eventum.

§. XXXVII.

Sequitur jam aliud inſtrumentum, cujus uſus ſat tutus eſt & generalior præcedente, Forceps ſc. quam Clar. Smellius *Londini* in arta obſtetricia docendo & exercendo conſummatiſſimus ſibi conſtruxit, frequentiſſime & feliciſſime adhibet ipſe, & per totam Angliam ab ejus adhibetur diſcipulis: Exhibere juvat ipſas cauſas partus difficultatum, quum infantis caput prævium eſt, illarumque curandarum methodos, quas exhi-

hibet venerandus ille Vir *in Tractatu Anglico*, cui titulus, *de Theoria & Praxi obſtetricia* anno 1752 in lucem miſſo, *pag:* 242 *& ſeqq.* " Omnes illi
„ caſus, in quibus caput infantis prævium eſt, & naturali modo prodi-
„ re nequit, reputantur plus minuſve laborioſi, pro variis cauſis,
„ quæ difficultatem producunt, & quæ ordinario ſunt: 1°. Magna Par-
„ turientis debilitas. — 2. Animi pathemata, triſtitia, anxietas. — 3. Ri-
„ giditas, calloſitates, tumores oris uteri, vaginæ & partium externa-
„ rum. — 4. Pelvis nimis anguſta, deformata. — 5. Præternaturalis oſſifi-
„ catio capitis infantis, ita ut oſſa cranii non poſſint cedere, quum in-
„ tra pelvim premuntur; vel hydrocephalus. — 6. Perverſi capitis ſitus.
„ — 7. ubi pars inferior uteri (ſive collum) ſeſe contrahit ante hume-
„ ros; aut ubi corpus funiculo involutum eſt.

" In omnibus his caſibus, Pelvis anguſtiâ & Capitis volumine ex-
„ ceptis, quum caput ſitum ſit ad oram pelvis ſuperiorem, vel (licet
„ in Pelvim delapſum) facile reprimi poſſit intra Uterum, optima me-
„ thodus eſt infantem invertendi, & pedibus extrahendi: ſed ubi ca-
„ put depreſſum eſt in mediam vel inferiorem pelvis partem, atque ute-
„ rus firmiter contractus circa infantem, partus perfici debet ope forci-
„ pis; atque in ſingulis his ſeptem caſibus, ſi parturiens in periculo
„ verſatur, & neque verti neque forcipe protrahi poteſt infans, caput
„ aperiendum & uncis protrahendum eſt. — tamen forceps prius ſemper
„ tentanda eſt — Quanto magis caput in Pelvim deorſum delapſum eſt,
„ tanto facilius forcipe extrahitur, quoniam tum laborum vi propulſum
„ ejus figura ex rotunda facta eſt oblonga: e contrario capite ſurſum
„ manente, & oræ ſuperiori Pelvis inhærente, forceps adhibetur majore
„ cum difficultate & incertitudine. — Si quis explorationem, qua innote-
„ ſcat, num caput ſatis intra Pelvim deſcenderit, ut Forcipe protrahatur,
„ inſtitueret a parte Pubis, ſæpiſſime falleretur; quoniam eo in loco
„ duos tantum pollices altitudine adæquat; & caput videbitur magis de-
„ ſcendiſſe, quam revera deſcendit; verum facta exploratione poſteriora ver-
„ ſus, quando parva vel nulla illius pars invenitur ad os ſacrum, cer-
„ tum eſt, totum caput ſitum eſſe ſupra oram pelvis ſuperiorem: ubi
„ invenitur ad medium ſacrum hærere, unam tertiam partem ejus de-
„ ſcendiſſe; ſi denique ad extremum ſacrum, partem tum dimidiam in

„ Pelvim prolapſam eſſe; atque hoc in caſu maxima capitis amplitudo „ margini pelvis inſiſtit; tumque in hoc ſitu certiſſimus eſt forcipis „ effectus; ut & ubi caput uſque ad externas partes proceſſit nunquam „ deficit: ſed (uti bene monet Clar. Vir) hæc omnia differre poſſunt „ pro varia partus difficilis ratione. —— Quum caput jam inferiora pel- „ vis occupat, frequentiſſima impedimenti cauſa eſt inferior pars uteri „ in collum infantis ante ejus humeros contracta: Quum vero magis „ ſurſum hæret, difficultas provenit a margine ſuperiore; quam ſi ca- „ put tranſiit, raro retinetur, niſi parturiens debilis fuerit."

§. XXXVIII.

Satius hic iterum duxi, ipſum ſequi Auctorem in recenſendis partus difficultatibus, quas Parvæ ſimulque pulcerrimæ ſuæ Forcipis ope removet, atque in parturientis infantisque ſalutem ſuperat; quantum vero ad variam, qua caput varie ſua forcipe invertit & attrahit, methodum attinet, Ipſe conſulendus eſt.

Multa quoque dicenda habeo in mutuam hujus, præcedentis, & ſequentium inſtrumentorum comparationem, quæ tamen hic omitto, & ex ipſis Auctorum præceptis colligenda relinquo; breviter animadverſurus, hancce forcipem (me judice) commodioris eſſe uſus, quam ſtatim memoranda *Forceps Recta major*, imo præſtantioris, iis quidem in caſibus, quum capiti nulla compreſſione ad voluminis imminutionem opus eſt; ita ut neque pelvis anguſtia neque nimia capitis magnitudo obſtet, ſed caput ad extremum ſacrum jam delapſum ſit & maxima diametro ad oram ſuperiorem firmiter incuneatum non eſt: quanto etiam magis totum caput jam in cavum pelvis deſcenderit, tanto quoque commodius, quam Forceps Magna Recta adhiberi poteſt. Nam licet hæc forceps Cl. *Smellii* volumine minor ſit, tamen ita conſtructa & lateraliter incurvata eſt, ut ſua capacitate caput firmiter apprehendat, imo firmius quam forceps recta vulgaris: interim quum *Smelliana* forceps tota brevior ſit, & manubria habeat breviſſima, hinc tantam vim, quippe quam Cl. *Smellius* valde nocivam judicat, ad caput comprimendum & movendum exſerere nequit: verum præterquam quod caput (niſi nimia fuerit pelvis anguſtia) ſat magnam compreſſionem ope boni inſtrumenti prudenter inſti-

ſtitutam, tuto, ſi requiritur, ſufferre poſſit, ſaltem tum infanti tum parturienti tutius, quam ope Uncorum capitis extractionem; dantur præterea & alii caſus, quibus non ſolum minor hujus forcipis efficacia, ſed imprimis ejus brevitas & rectitudo obſtant, quo minus caput rite apprehendat protrahatque; tum nempe, quum caput facie anteriora verſus incuneatum, vel quavis parte ad Pubem inuncatum eſt: hoc enim inſtrumentum (ut & Forceps major, uti mox viſuri ſumus) ſuis cochlearibus ſeu laminis ſat pubem verſus dirigi nequit, ut debite firmiterque caput arripiat, quum manubria ejus poſteriora verſus in perinæum adduci ſufficienter non poſſint: Requiritur ergo ad hoc opus longius non ſolum ſed ſimul antrorſum incurvatum inſtrumentum, (quale habemus & ſtatim conſiderabimus:) ipſe Cl. *Smellius* id agnoſcit, imo ſibi comparavit forcipem longiorem & antrorſum incurvatam; ſed non multum illam commendat, quum valde metuat, ne illâ nimis validæ exſerantur vires; quod tamen mihi videtur inſtrumento minus tribuendum eſſe quam Obſtetricanti, in cujus manibus quum ſit, prudens ille plus virium non adhibet, quam vincendum obſtaculum requirat; ſed ſuo inſtrumento ut æqua lance ponderat.

§. XXXIX.

Tertium jam conſiderandum venit Inſtrumentum, & quidem e forcipum genere Primum, quod ad ſervandum ſalva matre infantem excogitatum fuit: Hujus primordia ante triginta, & quod excurrit, annos, a Celeberrimo Palfino Anatomico & Chirurgo Gandavenſi rudia valde & incongrua palam facta fuerunt; dein vero a multis in Arte obſtetricia præclaris Viris diverſimode quoad cochlearia, manubria & juncturam auctum & correctum, & *Anglicanæ* vel *Chamberlainianæ* vel *Gregorianæ*, nec non Rectae Forcipis nomine celebratiſſimum; verum hisce diebus a plurimis hujus artis Magiſtris, ob varia, quibus illud laborare experti ſunt, incommoda iterum rejectum, variisque aliis poſtpoſitum. Attamen ut juxta propoſitam normam etiam hujus inſtrumenti uſum exhibeam, unum peritiſſimorum ejus Patronorum ſequar, *Clariſſimum* ſcilicet P. A. Boehmerum Medicinæ & Anatomes *Profeſſorem Halæ-Magdeburgicum*, quippe qui hoc inſtrumentum egregie commendavit &

 vin-

vindicare conatus fuit *in duabus Diſſertationibus*, quarum *Prior* Anno hujus ſeculi quadrageſimo ſexto, *Manninghami Compendio* artis obſtetriciæ, Halæ recuſo *adjecta*; atque *Altera nono Actorum Naturæ Curioſorum volumini inſerta fuit:* In illa ergo cui titulus *Disquiſitio de uſu & præſtantia forcipis Anglicanæ in partu difficili, &c.* §. XXII. Hiſce inter alia verbis proponit forcipem hanc: " Quando ob caput prægrande, aut oblique
„ poſitum, aut oſſibus Pubis impactum, naturalis excluſio fieri non po-
„ teſt, hinc regulæ artis expoſcunt (1) arte promovendum naſcendi ca-
„ pitis, totius fœtus æque ac ſecundinarum per pelvim tranſitum,
„ (2) & Vitæ matris fœtusque, quantum ſub hoc labore fieri poteſt,
„ conſervationem. *Primum* obtinetur, ſi caput vel ſupra oſſa Pubis ad-
„ huc oblique ſitum, vel oſſibus pubis jam inhærens, aut e ſitu dimo-
„ vetur, fœtusque in pedes convertitur, aut ope forcipis extrahi-
„ tur. Illa quidem encheireſis manualis nonnunquam quidem ſed dif-
„ ficillime & partus tantum initio ſuſcipitur; hæc vero inſtrumen-
„ talis operatio quovis tempore peragi poteſt. *Alterum* autem im-
„ petratur, ſi cito atque tuto tempore forceps in auxilium vocatur,
„ antequam caput fœtus in utero jam mortui profunde nimis in pel-
„ vim fuerit adactum. Præcedere vero debet ſemper extractionem ma-
„ gnitudinis naſcendi capitis imminutio, quæ absque læſione, aut oſ-
„ ſium capitis diſſolutione, ſalva vita fœtus, ſola & ſucceſſiva com-
„ preſſione cum extractore noſtro perficitur, cujusque ope ſi poſtmodum
„ accedat extractio lenis, totum opus abſolvitur.

§. XL.

Breviter animadvertamus, Clar. Auctorem ut præcipuam Gomphoſeos cauſam habere, capitis infantis aut orificii uteri ſitus obliquos, ita ut ob ſitum vel directionem perverſam *Capitis volumen ope Naturæ* intra pelvis oſſa *imminui* nequeat, *vel orificium uteri, aliis magis incumbens oſſibus, oram pelvis ſuperet;* vel quoque *caput ſub validis niſibus quidem in pelvim propellatur, ſed non expellatur:* Ut cauſas concurrentes recenſet nimiam pelvis anguſtiam, aut malam conformationem, & capitis magnitudinem. Dum autem ſupra de Oſſibus Pubis loquitur Vir Clar. potius hoc intelligendum eſſe credo, ad deſignandum capi-

tis

tis in Pelvim progreſſum, (licet ut ſupra memoravi a parte pubis de eo judicari non adeo poſſit:) caput enim æque poſteriora & latera verſus ac antrorſum mala directione propelli poteſt.

Videmus quoque Auctorem inſtrumento ſuo præprimis reſpexiſſe imminutionem voluminis capitis; hinc quoque monet, *melius eſſe, ſi caput fœtus circa bregmatis & temporum quam occipitis frontisque oſſa comprimatur.*

Imprimis quoque obſervandum eſt, quod de hujus Rectæ Forcipis applicandæ Methodo Ipſe aſſerit: (§. XXV.) " Simul intelligitur Extra-„ ctorem noſtrum adplicatu eſſe faciliorem verſus oſſa Ilii & Sacrum, diffi-„ ciliorem autem verſus oſſa pubis; cum in illis majus obſervetur ſpa-„ tium, hæc vero anguſta nimis partibusque nervoſis admodum ſenſibi-„ libus prædita ſint."

Non poſſum quoque, quin his adjiciam, quæ *Doctiſſimus Boehmerus* de alio hujus forcipis uſu §. XXVII. exhibet: " Præterea, inquit, „ quamvis commodum omnino ſit, ope forcipis, ejusque unitarum „ partium, caput fœtus extrahendi, minime tamen ob varias par-„ tus difficultates, tota requiritur forceps; cum aliquando contingat, ut „ pars una ipſius auxilio ferendo operique peragendo ſufficiat. Fieri e-„ nim ſæpius nequit, ut ob uteri obliquitatem ſolis digitis caput ab oſſi-„ bus, quibus inſidet, removeri poſſit, hinc melius tum eſt median-„ te parte una forcipis infantile caput ab oſſibus, quibus incumbit „ paululum repellere, illudque ſubſequentibus uteri contractionibus ma-„ nu altera oppoſita, ejuſque digitis flexuoſe expanſis comprehenſum e-„ ducere, quam ſub difficillima fœtus inverſione vim utero fœtuique in-„ ferre." Et de hoc Forcipum uſu, a variis tamen varie propoſito, inter omnes fere earum patronos convenit.

§. XLI.

Ex conſiderata hujus forcipis formae & uſus ratione, liquet eam excogitatam eſſe ad infantum Capita quovis fere ſitu & loco intra Pelvis oſſa incuneata vel ad ea inuncata, matre & infante illæſis, protrahenda. Verum ſi huic operi ſemper conducit, ſi ita commodus tutusque ejus eſt uſus, cur a plurimis artem obſtetriciam exercentibus Viris jam pro-

ſcripta eſt ? Cur primo alterove tentamine non raro rejecta fuit ? Qualem hac in Regione ſortem habuit. Ut paucis dicam quid rei ſit : Hujus forcipis Rectitudo nullo modo congruit decurſui ſive directioni cavi Pelvis ; atque exinde immiſſionem & diſpoſitionem ipſius difficilem valde æque ac capitis extractionem ſæpe irritam reddit: ut ut enim verſus perinæum ducantur manubria , parumper & difficillime ejus extremæ laminæ (ſive cochlearia) oram pelvis ſuperiorem intrare poſſunt, ſed ad ſuperiora oſſis ſacri appellunt , (tanto magis quanto ſæpius hæc pars introrſum projecta ſit) ita ut, licet adeo longum ſit inſtrumentum, ulterius tamen introduci nequeat. Præterea quando introductum eſt, difficillime laminæ conjunguntur , non ſolum ob vulgarem juncturæ fabricam, ſed & quoniam laminæ inter caput & oſſa pelvis immiſſæ, ſua convexa parte nequaquam reſpondent concavis, quibus applicantur, pelvis oſſibus , quamobrem neque ipſæ laminæ ſe invicem rite reſpiciunt , ſed ſuperioribus ſuis marginibus vel diſtabunt magis , vel appropinquabunt quam inferioribus , ita ut conjunctio fieri non poterit.

Quantum jam ad capitis protractionem attinet , certe Fiſſura perinæi hoc inſtrumento adeo non præcaveri poteſt; obſtat enim directio , ſecundum quam inſtrumenti Rectitudo requirit, ut caput protrahatur.

Verum enim vero præter hoc & priora incommoda omnibus caſibus plus minuſve communia , dantur & alii , ubi imprimis hujus forcipis rectitudo prohibet, quominus caput rite apprehendat educatque; tunc nempe quum caput facie anteriora verſus in oram Pelvis ſuperiorem incuneatum, vel quavis parte ad Pubem inuncatum eſt; (conf. quæ ſupra diximus pag: 27.) capite enim hac ratione ſito, forceps Recta debitam & ſat largam ejus partem complecti non poteſt , multo minus ejus oſſa juſto loco leviter comprimere valet ; ſed facillime tum veſtigium fallitur , atque inſtrumentum poſteriora verſus prolabitur.

Et hæ præcipuæ mihi videntur rationes , quod hanc forcipem contemſerit, & vario quisque ſuo inſtrumento poſtpoſuerit.

§. XLII.

Eminet hic quod jam recenſendum ſupereſt inſtrumentum Forceps

Cur-

Curva ſcilicet *Clar:* Levreti, cujus nomen & aliunde quoque nimis celebratum eſt, quam quod pluribus memorem: Hæc autem externa quidem facie *Præcedenti* quodammodo haud diſſimilis, ſed ob varias non ſolum, quas a ſagaciſſimo hoc Artis obſtetriciæ Promotore recepit Correctiones, verum præprimis ob generaliorem & tutiorem uſum plane diverſa, imo potius *aliud inſtrumentum* dicenda.

Octo circiter ſunt anni, quod Vir Clar. vulgaris Forcipis incommoda ſæpius expertus, ejus emendationi ſtudere cœperit, quo tentamine eo pervenit, ut pro incommodo commodum nactus inſtrumentum, illud dein in variis ſuis, quæ edidit, opuſculis palam fecerit, & commendaverit; multisque boni eventus exemplis tutum comprobaverit; ita ut ſuperioribus his annis in Gallia aliisque regionibus jam receptum ſit & feliciſſime adhibeatur.

§. XLIII.

Sine adpoſita delineatione multiplice, quas a Cl: Auctore hæc Forceps recepit, correctione potius ſuperſedeo; memoraſſe ſufficiat eam eſſe *Antrorſum incurvatam*, curvarum forcipum quodammodo adinſtar extrahendo Veſicæ calculo inſervientium: cujus *curvaturæ* ope juxta pelvis directionem ita introduci poteſt, ut ambæ ejus laminæ ipſam oram ſuperiorem ad utrumque latus in concavos oſſium Ilium margines immiſſæ, maximam capitis diametrum rite complectantur, quocunque demum ſitu illi oræ inhæreat; atque inſuper leni vi ſenſim ejus oſſa magno ambitu æquabiliter comprimant; & quoniam dictis oſſibus congruunt, ſurſum quantum requiritur moveri queunt: hinc facillima earum fit conjunctio: cui multum inſuper favet Epitonii ſeu Axis ſtructura, quam *Cl. Auctor* reddidit coniformem; quo factum eſt, ut laminæ maris apex facile amplam ingrediatur feminæ baſin.

Quantum jam ad capitis protractionem attinet, ſane mirum quantum eadem hæc *Curvatura* boni præſtet; quum enim neque arcus oſſium Pubis, neque Perinæum obſtare poſſunt, quominus caput juxta eaſdem, quas in partu naturali ſequitur, directiones diverſas vario motus gradu educat, imo non parum ipſi perinæo parcat.

Quibus omnibus ſi addas egregium unius tantum laminæ uſum ad humeros

ros margini pelvis inſiſtentes rite removendos, nec non ad tollendum obſtaculum, quod caput in Pelvis cavo inferiori, veluti ad tubera vel ad proceſſus acutos oſſium Iſchium offendere poteſt, præcipuos perfectionis gradus hujus Forcipis habebis, quam nullus dubito, quin unusquisque huc usque *Recta Forcipe* uſus, ſi non totam hanc, ſaltem ejus curvaturam adoptaturus ſit, id quod jam factum eſſe ſcio.

§. XLIV.

Videamus jam quibusnam proprie caſibus inſerviat *Forceps Curva* ſecundum ipſum ſuum *Auctorem*: ad hos eruendos neceſſe non erit varias ſecundum Illum cauſas inquirere, quum ſuccinctis valde verbis omnes illos caſus recenſeat in Opere Gallico præterito Anno edito, cui titulus *Ars obſtetricia principiis phyſicis & mechanicis demonſtrata*: ex quo ſequentes transferre juvat aphorismos, *ad pag.* 100 conſcriptos.

" Certiſſimum ſignum, quod Chirurgo indicat promtum forcipis uſum
„ matris & infantis conſervandorum gratiâ, illud eſt, quod oriatur tu-
„ mor ſuper caput incuneatum infantis, & quod hoc ulterius non de-
„ ſcendat licet labor non abruptus ſit, ſed tantummodo quadam ratione
„ remiſſus.

" Primus caſus, in quo forceps magno cum fructu adhiberi poteſt, pro-
„ prie obtinet, quum in femina bene conformata, baſis cranii hactenus
„ ſita eſt ſupra oram ſuperiorem oſſium pelvis, interea dum *caſſis oſſea*
„ (ſive totum cranium) in Vagina hæret, & os Tincæ (ſeu uteri) præ
„ valida dilatatione quaſi deletum eſt.

" Forceps, ſecundum ultimam meam correctionem conſtructa, ſem-
„ per in omnibus caſibus decuneando infantis capiti inſervit, ſive quod
„ facies Pubi obverſa ſit, ſive os ſacrum reſpiciat, ſive uni alterive oſſi-
„ um Ilium adhæreat; ſive prima ſeſe in via offerat, ſive denique ſit oc-
„ ciput, quod primum deſcendit: in omnibus enim his caſibus hoc in-
„ ſtrumentum mihi proſpere ſucceſſit.

" Præterea obſervandum eſt, caput maxime incuneatum nunquam obſta-
„ re, quominus introducantur laminæ Forcipis rite conſtructæ & tra-
„ ctatæ; quoniam caput abunde cedit earum immiſſioni, neque tantam
„ vim adhiberi neceſſe ſit, quanta mater vel infans lædi poſſent.

„ Er-

" Ergo uſus forcipis negligendus non eſt, quum caput infantis cete-
" rum bene conformatum, neque hydrocephalicum, ſed magni eſt volu-
" minis, & incuneatur oræ Pelvis non deformis; hujus enim inſtrumenti
" ope ſenſim ſenſimque caput oblongius, ideoque ejus exitus facilior redditur.
" Forceps Curva etiam ſingularis uſus eſt, ad removendos humeros in-
" fantis ita ſitos, ut unus hæreat prope ſymphyſin Pubis, & alter in
" unam ſymphyſium Sacro-Iliaticarum.

§. XLV.

En hujus inſtrumenti uſus quantum ad meos caſus attinet. Jam penes quemlibet ſit judicium, an iisdem, & quibusnam conveniant partus difficultatibus ſingula hæc quatuor Inſtrumenta, quæ breviter hac occaſione examinare mihi libuit.

Interim de illis omnibus monendum eſt: " Optimis ceteroquin in-
" ſtrumentis damnum inferri poſſe, quem vero imperita ſæpius manus
" Iisdem producit effectum periculoſum, non in inſtrumenti ſed in diri-
" gentis medentisque culpam cadit."

Qua autem ratione *Levretti* forceps adhiberi debeat, exhibet Cl: Auctor *in Additamentis Obſervationum circa partum difficilem ad pag:* 161 *& ſeqq.*

§. XLVI.

Geſtis hactenus pro virili Chirurgi partibus, antequam de his Inſtrumentis finem faciam, abſonum fore non credo, ut paucis quoque agam Mechanicum, horum ſingulorum ex conſiderata fabrica, variam agendi rationem mutuo collaturum.

Singula quatuor hæc Inſtrumenta *Vectes* ſunt *ſimplices*, & quidem primæ ſpeciei, quibus ſcilicet centrum motus eſt inter onus movendum, & potentiam moventem. Vel ſi ita mavis, qui heterodromo motu agunt, ita ut directio oneris contraria ſit directioni potentiæ.

Satis quoque in eo conveniunt, quod illis centrum motus ſit in medio, vel in loco quodam intermedio.

Quantum jam ad differentias attinet, magnæ hæ ſunt: Tres quidem Forcipes, licet quodammodo formâ & juncturâ diverſæ, ſatis ſimili

tamen gaudent mechaniſmo: verum Vectis *Roonhuiſianus* alia agit ratione.

Differunt enim imprimis ratione Centri Motus ſive Hypomochlii, quod eſt in *Forcipum Juncturâ;* Vectis vero *Roonhuiſiani* Centrum Motus eſt in partibus Parturientis, & quidem in *Arcu oſſium Pubis.*

Atque hæc præcipua eſt differentiarum ratio Forcipes inter & hunc Vectem non ſolum quoad mechaniſmum, ſed & quoad formam: nam hinc quoque fit, ut Vectis unum ſolummodo brachium requirat, & Forcipes duobus inſtructæ ſint.

Exinde jam liquet, quum centrum motus Vecti immobile ſit ad arcum Pubis, atque unicum brachium ſufficiat, Illo ab una tantum parte caput infantis complecti poſſe & comprimi, & dein continuo ductu illud e loco, quo hæret, deorſum foras pelli debere.

E contrario quum centrum motus Forcipum in Chirurgi poteſtate ſit, & cum reliquo toto inſtrumento loco movendum, quod præterea duobus brachiis conſtet; hinc Illo caput primum apte comprehenditur & æqualiter comprimitur; deinde levibus motibus lateralibus nunc huc nunc illuc agitur, tandemque ſurſum attrahitur, & ita in lucem producitur.

Quando autem unum tantummodo Forcipis brachium adhibetur, ad caput a quodam obſtaculo removendum, idem ejus eſt, qui Vectis machaniſmus.

Omnino quoque inter illa conveniret, quum unius brachii ope in modum Vectis caput ſive expellendum ſive attrahendum eſſet: verum ad hoc opus præſtandum nuſquam commendatur.

Sed manum de Tabula.

§. XLVII.

Ne tamen oblitus forſan videar curæ quorumdam caſuum (§. XXV.) quorum ſane recordatio grata non eſt, quippe qui omnem a cunctis hiſce tanto ſtudio conſtructis machinis eludunt ſpem, breviter illos abſolvam.

Omnino tamen hic ratio deſcriptorum inſtrumentorum habenda eſt, quum eâdem (ut vidimus) non polleant virtute; hinc quoque horum caſuum differt numerus.

Nul-

Nulla ratione, nullo inſtrumento infans vivus ex illæſa matre educi poteſt, illis in caſibus, ubi Obſtetricantis manus, etſi parva in cavum Pelvis & Matricem nullomodo introduci poteſt, ſed id anguſtum adeo exiſtit vel deformatum, ut capitis tranſitum multo minus ſinat. Hic ergo *Hyſterotomiæ* (ſive *Partus Cæſarei*) in viva matre inſtituendæ verus eſt locus, & unica ad ſervandum utrumque via. Huic tamen Hamorum ſeu Uncorum uſum, quibus infans etſi vivus aperto capite, exemto cerebro, protrahatur mortuus, præferendum eſſe, Multorum eſt præceptum; Artis Regula hæc eſt: Mortuo Uncus, Vivo Infanti Partus Cæſareus competit. Ingens ſane Hamorum & Uncorum a longa ſeculorum ſerie fuit numerus & uſus; non tamen ipſi Parturienti æque tutus; verum Ipſi ſaltem, hodie, ubi dira licet rariſſima adeſt neceſſitas, multo ſecurior redditus ob multiplicem hujus generis inſtrumentorum correctionem: de horum tamen deſcriptione, vel ſelectu, multo minus de eorum mechaniſmo ne verbulum quidem amplius addam.

§. XLVIII.

Jam vero L. B. antequam Te dimittam, hoc volo ſcias, quod Neminem lædere fuerim ſtudioſiſſimus; ſi ulli enim vel leviter, ipſemet mihi nocuiſſe ſentio maxime: præſertim quum nemo quisquam prohibeatur, quo minus de ſingulis rebus judicet; nec in ullius opiniones jurare cogatur, niſi quatenus has rationi congruere, & in uſum duci poſſe compererit.

Nunquam hoc, ut *Freindii* verbis utar, prudentiæ ſpecimen inſigne habitum eſt, cum quis ita ſe ſapientem putavit, ut doctrinæ nullius indigeat: tamen in hoc errore verſantur ii, qui Experientia ſua utcunque longa, unice freti, a nullo niſi a ſe ipſis doceri volunt, nihilque novi nihil emendati aut animadverſione digni ab aliis provenire exiſtimant.

Ad meos vero, quibus plurima debeo, Magiſtros provoco, tum in Hac Academia, tum alibi ut ſplendida Lumina nitentes Viros in Scientiæ Medicæ incrementum aliorumque commoda Natos, quos duces ſecutum fuiſſe nullum Medicorum filium pœnitebit. Nominaſſe hic ſufficiat, quibus inter alios uti Magiſtris in Arte Obſtetricia ſingulari fa-

vore mihi contigiſſe gaudeo, *Celeberrimos* LEVRETUM & SMELLIUM, Veros hujus Artis Antiſtites & Promotores, quam *Ille* Pariſiis, multis nominibus auctus, experiundi & obſervandi dexteritate, docendi facilitate, morumque elegantia conſpicuus; *Hic* Londini, doctrina, virtute, ætate Venerandus bonis avibus & exercent & profitentur.

Horum præceptis imbuto mihi gratulor maxime; verum & gratulor mihi, quod æque cœcum ullius verbis aſſenſum deteſtari, ac incautum pertinacemque in re neque intellecta neque examinata diſſenſum abhorrere didicerim. nullius ſtabilita auctoritas, nomenve celebratum, nullius ſectatorum frequentia me obcæcant, ſed obſtringunt non præjudicatæ inquiſitioni, & obſtringunt omnem, qui ſibi ipſe vel aliquantulum fidei voluerit.

Hæc adjicienda cenſui, ne temerarius fortaſſe videar, qui tantis me admiſceam controverſiis, quantæ proh! tum alibi tum hiſce præcipue in Terris a longo tempore circa quod jam pertractavi negotium, agitatæ ſunt.

Ceterum ubi has primitias aliquantum placuiſſe intellexero, non leve erit ad majora tentanda incitamentum: ſin minus; illas ceu Fœtum, ex optimis quidem Parentibus conceptum, ſed immaturum, abortu natum, habeto.

FINIS.

THE-

THESES MISCELLANEÆ.

I.

Sanguis ruber a Matre in Infantem mitti non videtur.

II.

Imaginatio Gravidæ morbos Organicos in Foetu producere non poteſt.

III.

Ubi Gemellis placenta communis ſ. unica fuerit, Chorion commune, ſed Amnion cuique proprium erit: Quando ſuâ uterque placentâ, diverſo matricis loco inſertâ, gaudet, & Chorion & Amnion Utrique propria erunt.

IV.

Verus obtinet in Utero Antagoniſmus totum ejus Corpus inter & Collum cum Orificio.

V.

Pelvis oſſa a ſe invicem recedere poſſunt in partu difficili, potiſſimum quando Infans capite prævius.

VI.

Inchoatæ Reſpirationis cauſa in Infante recens nato eſt niſus ejus ejulandi.

VII.

Ante Infantis Reſpirationem, & ſanguinis per Pulmones tranſitum, nociva eſt Funiculi Religatio.

VIII.

Oculi Catarača exciſo Cryſtallino optime curatur, id quod ſecundum SHARPII Methodum tutiſſime peragitur.

IX.

Vulnus ad extrahendum Veſicæ calculum ſimplici cultello infligere præſtat.

X.

Legitime Vulnerum ſuppurationi promovendæ maxime convenit Cortex Peruvianus.

XI.

Uſus Belladonnæ ſ. Solani Furioſi Internus in curandis Mammarum tumoribus Scirrhoſis & Cancroſis non exulceratis laudandus.

XII.

Variolarum Inſertio & fas eſt & officium.

XIII.

Animalium Calor a ſola vaſorum fluidorumque in ſe invicem actione non pendet.

XIV.

Nervos Canales eſſe commode aſſumitur, difficillime demonſtratur.

XV.

In plerisque morbis curandis magis Solidorum quam Fluidorum habenda eſt ratio.

XVI.

Medicorum diſſenſus, Medicinæ perfectio.